



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cavssa Helvetica Orthodoxae Fidei**

**Murner, Thomas**

**Lucernae, 1528**

**VD16 M 7034**

Conclvsio XXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29525**

M V R N E R I.

argentū sibi cōcupiscūt & aurū, quū in his uerbis supreme sit  
phibitū. Aequē sunt illis imagines istarū idola sicut ecclesiae fur-  
rata bona Zwinglio thesaurus, & lupo asinus molinari<sup>9</sup> in  
aqua stans piscis, q̄ppe, qđ piscē animal didicerat in aqs esse.

C O N C L V S I O XXXVIII.

Famosus est, q̄ sacras cōlestiū ciuū statuas & imagines sine  
adorationis ambizioso fastigio consecratas, nullisq̄ sacris lite-  
ris usq̄ prohibitas irreuerēter tractarit, quia uirtutum præ-  
mia tribui merentib<sup>9</sup> conuenit, & ob id lex statuas erigi præ-  
cepit, ac lege iulia maieſtatis uiolatores damnauit.

Et uirtutū præmia tribui merentib<sup>9</sup> conuenit, & aliorū ho-  
nōres alijs damnorū occasionē fieri non oportet C. de ſta. &  
inua. Et uirtutū. Sed & clare lex ipsa his uerbis præcipit. Si qñ  
noſtræ ſtatuarū uel imagines erigunt, seu dieb<sup>9</sup> ut aſſolet feſtis  
ſiue cōmunib<sup>9</sup> adſit iudex ſine adoratiōis ambizioso fastigio.  
Eo, ſi qñ. Vbi dilucide patet euangelicos neq̄ in nos emētirī,  
quod idolatriā exerceamus imagines adorādo, quū eas dum  
taxat erigamus in ueritatis ſpeculū, & imitationem earundē  
quum intuent, ſuntq̄ laicis loco ſcripturarū iuge memoria,  
quum alioqui & ſcripturæ & uerba tranſeant.

Ita & non aliter prohibet dñs deus in plariſq̄ locis Bibliæ,  
imagines & ſculptilia ne ſcilicet adorent, Leuit. xxvi. Non fa-  
ciētis uobis idolū & ſculptiſe, nec titulos erigētis, nec inſignē  
lapidē ponētis in terra ueſtra ut adoretis eum, & hæc uocant  
idola & imagines falſorū deorū, quæ Chriſtianitas ipſa nunq̄  
acceptarūt, ſed apoſtoli illas demoliti ſunt. Sed memoratiue  
imagines in nullis unq̄ ſacris literis fuerunt prohibite.

Zwinglius ille noſter oīum hereticorū & furū facile caput  
& princeps, in quodā a ſe cōſpuro libello contra quinq̄ Chri-  
ſtianos cantones Heluetiorū mirū in modū lamentat & con-  
querit, quod ſcilicet Lucernēſes eius imaginē exuſſerint, de  
ſemet, nihil queſtus quod imagines crucifixi ſaluatoris & om-  
nium ſanctorū ipſe cōbuſſit, ueniā tñ præſtitit aureis & argen-

A C T A

reis quas captivas, ut fur & sacrilegus sceleratissimus in suam potestatem redegit, & tunc plus habent hij euāgelici fures suas iniurias aut contumelias quam dei & sanctorum.

CONCLUSIO XXXIX.

Famosus est q̄ locū sacrum etiā diruto aedificio in alienos usus prophanavit, cū hūc lex iubeat māere sacrum etiā resolutis aedificijs

Nemo martyres distrahat, nemo mercetur C. de sacro fan. eccl. Nemo martyres.

Interdicta autē cōpetūt uel hoīm causis uel diuini iuris ut de religione sicut est. Ne qd in loco sacro fiat, uel qd factū est restituať, ff de interd. seu extraor actio. l. interdictorum.

Loca sacra etiā si terrae motu corruant, adhuc locus sacer manet ff de contra. emp. Ede.

Locus in quo sacrae sunt aedes aedificatae, etiā diruto & soluto aedificio, manet nihilominus locus sacer, ut Papinianus scripsit, Insti. de re di. par. Locus autem.

CONCLUSIO XL.

Famosus est q̄ locū religiosum in prophanos usus cōmutauit cū hūc diuini iuris esse fecerit, sua uolūtate mortuū inferēdo.

Pergit audacia ad busta defunctorum & aggeres cōsecratos, cū & lapidē hinc mouere, & terrā euertere, & cespitem euellere proximum sacrilegio, maiores nostri semp habuerūt C. de se

Et si forte cadaueri defuncti sit iniuria (pul. uio. Pergit. cui heredes bonorum possessores extitimus, iniuriarum nostro noīe actionē habebimus. Spectat em̄ ad aēstimationē nostrā, si qua ei sit iniuria ff de iniur. & fa. lib. le. i. par. Et si forte.

Si quis uoluntate tua mortuū in tuum fundum inuulerit, fundus siue locus sit religiosus, & pculdubio uenundari non potest religione prohibente, C. de reli. & sump. fu. Inuito.

Si sepulchrū monumenti appellatione significas, scire debes iure dominij id nullū uendicare posse C. eo. Si sepulchrū. Locum quidem religiosum distrahi non posse manifestū est, C. eod. Locum.

Res